

phyrus Floram, Vertumnus Pomonam, Isis Osirim, Venus Adonin haud frustra quæreret. Adeò ut nomen hoc à *floribus* ac *liliis* meruerit, & benè conjecerit vates:

*Entia producens florentia, jure vocaris,*

*Urbs urbium, Florentia.*

*Te florens ornat Cosmorum gloria: Κόσμος*

*Hic verus est Florentiæ!*

*Urbs urbium*, inquam, quæ Pisam inter & Senam, cæterasque vicinas Italiæ urbes, *Regina* instar, *coronatum* caput graviter erigit, & extollit. Nec malè veteres coloni, qui, pro *Florentia*, *Fluentiam*, à confluentibus *Arno* & *Mugnone*, appellarunt; quorum ille perfluit, iste alluit urbem. Confluunt ibi & *Ars* & *Natura*, quasi sororia æmulatione utrumque flumen illud consultò, & de industria, imitata: Aër enim tenuis est, & salutaris, & maximè acrium ingeniorum, doctissimorumque Virorum ferax. Confluunt ibi & *Sapientia* & *Mercatura*: Nam quæ Mercurii sedes est, & Pluti domicilium; ea Palladis quoque ac Phoebi audit sacrarium. Nec illustrius quicquam, & gloriosius, quàm eos ipsos populos, quos emendi vendendique amor ex omnium terrarum parte huc excire solet, ad literarum quoque mercatum proficisci; nec tabernas solùm & mercium promptuaria, verùm Musarum etiam Penetralia frequentare. Vetus admodum res est, mercari;